



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 436. Quid sit feloniam, an & quando ab eam vasallus privetur feudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

se esse vasallum, dominum cognoscere non posse, num sua sit jurisdictio, sed super hoc cognoscere debere Judicem aliis ordinatum, & comperto, quod conventus sit vasallus, causam remitti debere decidendam ad dominum, tanquam communem astitit Curtius *loc. cit. q. 7. cum Gl. fin. in c. 1. de investit. in mari facta.* quod tamen in puncto juris non carere difficultate, ait Clar. *n. 70.* eò quod de jure communi Judex, coram quo opponitur declinatoria, semper cognoscat, num jurisdictio sit sua, etsi in praxi obtinere contrarium sit difficile, maxime quia revera majus est interesse domini, qui cognoscere debet & judicare, num quis sit vasallus suus, quam Judicis ordinarii. Quamvis, si excipiens sit in quasi possessione vasallagii, Clar. omnino se inclinare dicat, quod dominus ipse cognoscere debeat, vel saltem Pares curiæ. Porro hæc ipsa, quod dominus in dicto casu sit Judex ordinarius, procedere quoque, dum vasalli sunt clerici & dominus laicus, communem (saltem dum feudum non habetur ab Ecclesia secundum dicta *Resp. 1.*) dicunt Marian. *in c. ex transmissa. de for. comp. in §. limit.* Felin. *in c. verum. eod. post. num. 3.* Curt. *loc. cit. q. 2.* Clar. *loc. cit. num. 8.* eò quod, ut dictum paulò supra, Ecclesia & clerici ratione feudi, saltem non Ecclesiastici, subjiciantur domino laico, prout de consuetudine attestantur Archid. *in s. unic. de Cleric. conjug. in c. Guido Papa decif. 139.* & de magis hodie dum communi Legistarum & Canonitarum, ideoque sequenda. Clar. *cit. num. 8. in fin.* semper, ut addit, salvo judicio Ecclesiæ Romanæ. Et quidem procedit sine distinctione; sive agatur inter vasallos clericos de proprietate ipsius feudi, sive de possessione illius, ut Bald. *in c. ceterum. de judic. Aretin. ibidem. col. 4.* & Decius *post num. 66.* Clar. *loc. cit. num. 9.* eò quod, ut Idem, regulariter ille debeat esse Judex in causa possessionis, qui est Judex competens in causa proprietatis. Sed neque possunt vasalli de feudo litigantes prorogare jurisditionem alterius Judicis sine licentia ipsius domini, Bart. *in l. 1. ff. de judic. num. 2.* Alex. *in l. 1. §. post oper. ff. de oper. novi nunc. num. 21.* Curt. Jun. *loc. cit. num. 5.* Marant. *p. 4. dist. 12. num. 19.* quos citat & sequitur Clar. *cit. q. 90. num. 20.* eò quod, cum talis jurisdictio specialiter à lege tributa domino, non potest consensus partium contra privilegium à jure concessum quicquam operari, non secus, ac clerici non possunt, etsi velent, consentire in Judicem laicum in præjudicium juris Ecclesiastici. Secus dicendum, si res, super qua litigant vasalli; non esset feudalis, sed alia; tunc enim possent prorogare jurisditionem alterius domini. Vide Clarum *cit. num. 10.*

4. *Resp. quartò:* In causis feudalibus dari appellationem tam à paribus quam à domino, certum est juxta *c. 1. in tit. quo temp. mil.* Mynsing. *cent. 5. obs. 5.* Gail. *l. 1. obs. 1. num. 56.* & in ea observanda omnia itatuta à jure communi, nimirum ut fiat gradatim, intra decendum &c. Mynsing. Gail. *LL. cit.* Fit autem ad proximum superiorem, si sit, si autem non sit, appellandum ad dominum tribunalis, nempe ordinarium, cui res subjecta est. Mynsin. Hinc, si dominus est persona Ecclesiastica, dirigenda appellatio ad superiorem illius Ecclesiasticum; si secularis, ad secularem ex quo enim is subjectus ordinario loci, ad hunc spectat corrigere inferioris Judicis iniquitatem. AA. *in cit. c. ceterum.* cujus sententiam prævaluisse in Camera dicit Mynsin. Cæterum si dominus

feudi directus nolit vel non possit exercere jurisditionem, tunc ad ordinarium conventi devolvitur jurisdictio, nisi sit dominus superior mediatus, qui sicut supplet & corrigit iniquitatem sententiæ, à qua appellatum, ita etiam negligentiam domini nolentis judicare. Mynsin. *l. c. cum Abb. l. c.*

5. *Resp. quintò:* Re conventio quoque in causis feudalibus coram Paribus curiæ locum habet; cum, ut dictum, sint Judices ordinarii. Gail. *cit. obs. 1. num. 59.* citatis And. de Isernia *in c. 1. de contrrov. feud. apud par. term. num. 1.* Afflic. *ibid. n. 4.* Zasio *de feud. p. 2. n. 25.*

Quæst. 436. Quid sit feloniam, an & qualiter ob eam vasallus privetur feudo?

1. *Resp. primò:* Felonia vox barbara, feudalists usitata in genere significat delictum in dominum directum commissum à vasallo, ob quod is privandus venit feudo. *L. 2. feud. tit. 37.*

2. *Resp. secundò:* Ob feloniam commissam ipso jure privatur vasallus feudo quò ad dominum illius. Gail. *l. 2. obs. 21. n. 1.* Rosenth. *de feud. c. 10. concl. 3.* quò ad possessionem verò feudi amittendam requiritur processus & sententia declaratoria commissæ feloniam, & hinc incurse privationis feudi, ita ut causæ cognitio citato vasallo, ad videndum se commississe feloniam præcedere, eaque probatâ sententia declaratoria sequi debeat per textum *c. 1. de feud. sine culp. non amitt.* Afflic. *ibid. n. 13.* Alex. *conf. 103. n. 16. vol. 1.* Bald. *in c. 1. §. publici latrones. de pace tenenda.* & alii, quos citat & sequitur Gail. *l. c. item Rosenth. l. c. & Clar. q. 62.* idem dicens de omni alia causa, ob quam amittitur feudum eò quod, ut Grammat. *decif. 15. n. 8.* ait: Omnia jura mundi disponentia pro aliquo crimine ipso jure imponi pœnam, intelligenda esse; modò secuta fuerit sententia declaratoria, quâ declaretur, illud crimen fuisse commissum, aliàs pœna non poterit habere executionem seu effectum suum. Nihilominus limitanda responsio ita, ut non procedat in vasallo, qui comisit feloniam notoriam actu permanentem, quo casu dominus de facto sine sententia posset occupare feudi possessionem. V. g. si vasallus sit in notoria rebellionem actu persistente contra dominum. Gail. *l. c. n. 8.* eò quod in notorio facti permanentis probatio in contrarium non admittatur, ut Idem cum Afflic. *in c. 1. §. si quis dominum. notab. 2. n. 6. de pace tenend.* adeoque nec opus sit sententiâ declaratoria; quales plures casus, in quibus in notorio non requiritur sententia declaratoria, recenset Felin. *in c. cum non ab homine de judic. n. 10.* De cætero ad probandam ingratitude erga dominum requiri testes quinque omni exceptione majores, ait Clar. *q. 60.* per expressum textum. *c. 1. quot test. sint necess. ad prob. quem textum etiam Molinæ;* cum quibusdam aliis dicat non esse authenticum, & non servari, contrarium tamen, esseque legem, & pro lege servari debere, & ita teneri communiter, asserit Clar. *loc. cit.* cum Belvisio & Bertrand.

Quæst. 437. Quanam in specie sint delicta, ob quæ amittitur feudum?

1. *Resp.* Delicta hæc triplicis sunt generis, dum aliqua directè in dominum committuntur; alia indirectè offendunt illum; alia nec directè nec indirectè dominum tangunt; quia tamen multum infamant, seu gravem infamiam juris inferunt,